

quod hereditas obtinetur eterna, cum reponatur illis in celis meritum, qui deum in suis honorant ecclesiis largitate donorum. Nuper siquidem ex ostensis in curia nostra quorundam privilegiorum exemplariis, que dudum illustrissimus pater noster imperator augustus una cum serenissima matre nostra imperatrice bone memorie fecerat, nostre claruit maiestati, qualiter ipsi parentes nostri ad laudem dei patris et gloriosi prothomartiris Stephani, cuius sibi patrocinium elegerunt, inspecta quoque sinceritate devotionis ac fidei Mathei quondam venerabilis Capuani archiepiscopi fidelis et familiaris eorum ac nostri, necnon et considerata iactura, quam Capuanam ecclesiam sub eorum noverant occasione servitii pertulisse, concesserunt et donaverunt in perpetuum prenominato Matheo archiepiscopo eiusque successoribus et ecclesie Capuane Castellum Maris de Vulturno cum omnibus tenimentis et pertinentiis eius, que in hominibus, terris aquis vel quibuslibet proventibus videtur habere. Simili modo concesserunt ac donaverunt perpetuo eidem Matheo quondam archiepiscopo suisque successoribus et Capuane ecclesie Pinum et Pigmontem cum omni honore et tenimentis eisdem pertinentibus necnon et terram, que fuit olim Landulfi Compalatii tam intus quam extra civitatem Capue cum universis rationibus ac iustitiis suis¹. Nos igitur volentes, quod tam pia consideratio parentum nostrorum, sicut nostris redolet seculis, sic celebris habeatur in evum, attendentes quoque sinceram fidem et grata servitia, que tu Raynalde venerabilis Capuane electe, fidelis noster, celsitudini nostre semper exhibuisti et que deinceps exhibere poteris gratiora, de innata nobis clementia et liberalitate immensa, pro remedio quoque animarum supradictorum parentum nostrorum recordationis inclite concedimus, donamus et confirmamus tibi tuisque successoribus et Capuane ecclesie in perpetuum omnia supradicta, videlicet Castrum Maris de Vulturno cum omnibus tenimentis et pertinentiis eius, que in hominibus, terris, aquis et quibuslibet proventibus videtur habere, similiter Pinum et Pigmontem et terram, que fuit olim Landulfi Compalatii cum honore, tenimentis et pertinentiis eorum, sicut dudum hec omnia ab illustrissimis quondam imperatore et imperatrice, parentibus nostris, Matheo quondam archiepiscopo Capuano eiusque successoribus et Capuane ecclesie fuerunt concessa. Ad huius autem concessionis, donationis et confirmationis nostre memoriam et inviolabile firmamentum presens privilegium per manus Iacobi de

1) Das petit Gedruckte ist einer der beiden Vorurkunden entlehnt; man hat sie abwechselnd herangezogen.